

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 97. (*Neovidensis* 1807. Nro. 96.)

Secretum litterarum Commercium
Vivos inter et vita functos.

Germani cujusdam ministri protestantici filiae
ad matrem suam in Elysio.

Ex mundo Superiore.

Elysium-Meum. - Die Veneris 11. Dec. (*Neovid.* 27. Nov. 1807.)

Litteræ hæ, dilecta Genitrix! animi me-
statum, adjunctaque aerumnosa rerum mea-
rum secundum meditationes, quibus diu no-
ctuque misera discrucior, adumbranda ha-
bent; quotidie sepulcrum oboeo, in quo Cara
matris molliter ossa cubant; & quotidie me-
moriam me subit salutarium, quibus me imbuat,
præceptorum.

O mater animo dilecta meo! quantopere
rerum conversus orbis est! in ipso pago, quem
incolimus, ratio cogitandi adeo perversa est!
ut, nil morantibus, quæ mihi inculcavit dile-
cta mater, præclaris documentis, ut simpli-
cis & hebetis mentis traducar. Virtus ludi-
brio habetur, justitia rabularum opificio au-
dit, & fortunis destituta femina argumentum
facilis seductionis censetur; *quid vult? dici*
amat, dote caret!

Puellarum & virginum sors miserima ex
protestantibus ministris gnatarum; in vico,
eam vivendi rationem inerat, eam educationem

præferat est necesse, quasi notabilis persona foret; V. D. minister conspicuam ruri personam sustinet, conspicuo vitæ, quod gerit, muneri prolium educationem ad commodat, filios studiis, litterarum, aut mercatui consecrat, qui progredi jam possunt; at filiae, cara mater, quid ruri condiscere possunt; quid ex iis fieri? in earum vitæ genere & prærogativis, quibus gaudent, hæc notabilis usu venit consuetudo, quod puderet eas ruricolae in manus venire, peregre pro in honoratiori gradus venire debent, docti, medici, causarum advocati, candidati, qui filiam Curionis sacri adpetunt; verum nostra ætate eruditi, medici, advocati, vel Candidati uxorem ducturi largam dotem quæritant, tempora præteriere, quibus amor solus, absque habita fortunarum ratione matrimonia copulavit, millia Imperialium dena cuius virtuti præstant, etiamsi divitiæ ea foret, & in re familiari prodigium produciendo esset; Juvenes, qui moratam Curionis filiam pauperem, ut olim præscus mos germanicus ferebat, conjugem quæsiere, in scientiarum Academiis adeo matrimoniorum ineundorum tædio correpti sunt, ut oelibem vitam agere malint, quam criticis his temporibus quibus officium quodvis & proprietas rerum periclitatur, matrimonii vinculis semet implicare.

An, quæso, mortalium quis Curionis protestantici filia miserior? neque agrariæ rei, neque asperis durisque laboribus, neque mulctræ asveta, quoniam hæc statui, ex quo originem habent, non conveniunt, ambit eam hominum corona, qui etiamsi amoris propensionisque signa edere cuperent, pessime exciperentur; Filia

protestantici Curionis secundum ordinem muliebris Hierarchiæ princeps domina (prima Dona) oppidi est; ejus conditio respectu patris & sacri, quod gerit, muneris jus ei impertit, æqualem sibi prætendendi, at ruri nemo iis æqualis.

Ingenue fateri debeo: dilecta mater! tristem mihi futuram videri rerum conditionem, annuum nonum supra vigesimum ago & adhuc in capillis! adamicas aures dictum esto; desiderium nubendi diu noctuque me exagitat, exemplum caræ matris, ut cum dilecto meo genitore amanter, & concorditer convivebat, quotidie & constanter menti obversatur mea. eandem vitæ rationem sequi placeret, at nusquam procum reperio — blanditiarum & dulciloquiorum a diversis quidem Juvenibus quotidie recurrit copia, sed seriem adgredi nullus audet; in tota qua patet, vicinia proba, solers, & intelligens puella audio, tum humeri contrahuntur cum dicto: dolendum eam nummis destitui; o mater dulcissima! absque pecunia, illo Mamone, virtus hac ætate nostra alget, & contemnitur. Tres sorores meæ annis proficiunt, proh dolor! eadem eas soror mansura expectat! Superi! quid nos fiet, patre assiduo ægrotante decedente vita! nec cogitare sustineo.

Filiæ aliorum Eruditorum, Jurisperitorum, Medicorum faciliorem sibi vitæ subsidia procurandi occasionem nanciscuntur; amicos in publicis regiminis muneribus habent, plerumque in urbibus degunt, pater officium procurare valet & ei filia ceu appendix adnectitur, at vero, quantulum valet paganus v. d. minister? præ-

sertim hisce rerum adjunctis ; in quibus Theologia in postremis habetur ; & quantum plerumque est ministri, quod vita decedens, relinquit, patrimonium? Cubile plenum *liberis, & libris*, quorum hodie exiguum pretium. Omnes hæc cogitationes me persequuntur, & precor : dilecta mater ! si eo, quo est, loco jam essem, Deus me adjuvet ! —

Hisce querimoniis, & elegiæ meæ aliquot nova adjungo, quorum amantem, vita comite Dominam Genitricem cõperiri & meminiri.

Ultrajecti die 18. Nov. Hesterno anni hujus sessio autumnalis Collegii legibus ferendis per ministrum status interni, nomine Regis inchoata est. *D. Bylandt Halt* Præses durante hac Sessione denominatus est. In locum decedentium membrorum, Rex jam die 11. h. m. ex propositis sibi per Collegium legislativum & Collegia electoralia viris, denominavit.

Fide digne memoratur : Regem occupatum per Herhutianos in urbe *Zwist* locale ad se jure emtionis derivasse, sique in ejus vicem usumfructum palatii *Binnenhof* nuncupati Hagæ Comitum obtenturi feruntur.

In argumento eorum, qui ad Insulas oræ Frisiæ & Frisiæ orient. proficisci volunt, severæ politiæ agendi rationes inita sunt.

Pluribus Batavis paginis contenta legitur equens Amstelodamo de 16. h. m. relatio : Multa cum animi anxietate apud nos excerptus ex monitore legebatur Articulus. „Ex tempore pacis in Continente præprimis a reditu regis nostri testes sumus severæ agendi rationis, quæ in

argumento perficiendæ arctæ obsidionis ini-
ta est. Patienti animo toleravimus, spe ducti:
Magnum Napoleonem propensionem, Operam-
que nostram pro communi Causa, atque indesi-
nentem admirationem nostram æqui bonique
consulturum; dum objectis onibus, quas non pro-
meremur, nullam fidem tribuit; id quoque spe-
ramus: eum alacritati nostræ subsidio ventu-
rum; maximum argumentum nullum litterarium
commercium Angliam inter & Hollandiam locum
habere, est: quod eum litteræ per Hamburgum
expediantur; nemo profecto impedire posset, ne
litteræ ad eum mittantur. Si necessum foret
alia adhuc argumenta proferre, quibus proba-
tur: quam severe portus oraque clausa teneatur,
allegare possemus: plures naves conspicuis
mercibus oneratas oræ nostræ allisas esse, quod
in eam receptio iis denegata sit; quod Anglicarum
pecuniarum possessores ex multo jam tempore
nihil percipiant amplius, quod denique nostræ
ipsæ colonicales merces fisco illatae sint. Verum
spe tenemur futurum omnino: ut magnum il-
lud ingenium, quod orbis sortem moderatur,
Candorem animi, fidelitatem, & propensionem
gentis agniturum sit, quæ fortassis quidem mi-
nus aliis artem tenet animi sensa sui placente &
exaggerata ratione declarandi, at vero ex duo-
decim annis mortalium maximum admirari non
desinit.

Vindobona die 15. Nov. Supremus terræ
Princeps noster occasione postremi itineris sul
Carinthiam quoque lustrare dignatus est. Sua
Majestas die 24. Sept. absque pompa & exiguo

in comitatu ex Styria inferiore adpulit primumque distantem ad duos lapides Cimitis *Ferdinandi ab Egger* Ferri laminae Fabricam in oppido *Lippzbach* invisendam suscepit. Hoc opus exemplar sui generis in Germania, quod laudabili solertia sui, de Ferrifabricis provinciae praeclare meriti ante paucos annos denati proprietarii *Maximiliani C. ab Egger* ex ordinaria malleatura, Colonia parva artis & industriae redditur; jam ante honore fruebatur per vices *Sereniss. Archi-Duces Joannem, Ludovicum & Rainerum* excipiendi, nunc & oculis Imperantis fructus industriae substernendi fortunam nactum est; Sua Majestas cum voluptate contemplantur, in motu constitutas ad exemplum Anglicanarum adamussim efformatas ferri, scissioni & torneaturae destinatas machinas, laminarum cylindricarum machinulas, adparatum nunc recte exurgentis albae laminae fabricae &c. quaesivit de numero, et distractione productorum, quorum praeprimis cylindri formam redacta lamina nigra et domi, et foris magnae aestimationis est; probabat laudabatque quae adsunt exemplaria albae laminae, quae quaevis fabricata domestica praestantia superat, atque glabritie, et venustate anglicanae suppar est, et plena votorum contestatione et pollicitatione post biennium revisendi, discessit. Iter *Clagenfurtum* dirigebatur, in qua urbe Princeps triduanas suae commorationis tempore, quaevis publica instituta lustravit; nonnullas opportunas dispositiones in flagranti suscepit, alias se animo expensurum pollicitus; eadem occasione diversas in proximo sitas

Fabricas augusta sua praesentia dignatus. Ita dissitam unius horae spatio ab urbe Caesareo Regio privilegio donatam pannorum subtilium Manufacturam Sociorum *Moro* invisit, aliquot primum ab annis denuo excitatam, esse instructam; jam vero industria et alacritate Curatorum Manufacturae, filiorum memorati *Moro* praeclarum habet successum. Imperator quemvis raminum operis secundum operationis ordinem sibi ostendi postulabat, singula minutim sciscitatus et perscrutatus testaturque probari sebi structurae Opportunitatem, laudabat ad summum subtilitatis gradum perductam filaturam „ domesticae lanuae, vivacitatem colorum sed omnium maxime oculos perstringentem alborum pannorum puritatem; ad argumentum dandum sui animi Majestas Manufacturam eo honore dignata est, ut albi panni frustum peteret, quod Viennam jam expeditum. Sollicita et exacta perlustratio provinciae, excitans industriam dignatio principis omni sub ratione non potest non summopere esse salutaris.

Basiliae die 18. Nov. Redux ex legatione Parisiis Praefectus Reipl. a Wattewyl Helveticis paginis seqv. inserenda curavit: Quintus annus secularis Helveticae libertatis imminet! *Calendis Januarii Anno 1808* quingenti complentur anni, ex quibus primi Helveticae libertatis vindices jugum servitutis excusserunt, Tyrannos patria exegerunt; et ejus libertatem promulgaverunt. Helvetiae! an repetitio memorabilis hujusce Epochae solenni a nobis ratione ut celebretur non digna? an dici de nobis liceat: annua se-

lennia vindemiae nostrae, memoriam pastoritiorum morum honore et jubilo a nobis peracta esse, et annus *Jubilaris* conditae libertatis nostrae, verae primae libertatis, quam Europa, et orbis vidit nosseque cepit, hic inquam a nobis praetermitteretur? Anno 1808 *Lucerna* sedes Helvetiae Deputatorum futura est, Urbs haec medium tenet Helvetiae, vicina illi colliculo, in quo tres illi libertatis nostrae conditores primum Jurjurando semet obrinxerunt, eam vel patriae nostrae vindicandi, vel mortem oppetendi — in proximo augusti illius luci, in quo nobilis *Winkelried* hanc libertatem Sanguine suo stabilivit, et heroica morte redemit. Felix hic et fortassis pius quam fortuitus adjunctorum concursus temporis redeuntis memorabilis Epochae; momenti quo, selecti de populo Helveto congregati loco tam illustribus meditationibus circumdato, an non singulos Helvetas provocare videtur, ut vicariis suis assistant, et *Solennia popularia annum Jubilarem* conditae libertatis patriae nostrae communiter celebrent? Pax, quae eodem tempore maximae parti Europae et brevipost universo orbi dabitur, his solennibus certe novam utilitatem et splendorem conciliatura est, &c.